

prætereò. Adeundus, qui pleraque descripsit, Desiderius Spretus libro III. Spectatur ibi inter alia in Cratere Fontis, *Herculis Horarii* vel *Astrologi* statua; qui posita clava, velut Atlas innixus genu sinistro, è terra semet erigens, ambo- bus lacertis atque cervice gestat Horologium solare, semirobundum & convexum: in cuius concavitate per gnomonis seu umbilici solis umbram horæ diurnæ lineis distinctis demon- strabantur. Arx ibi munita turribus aliquot per tormenta bellica dejectis, bello cum Gallis gesto. Portum habuit non incelebrem: qui *Novus* appellatus ad differentiam veteris capacissimi. De eo sic scribit Sidonius lib. I, epistola sæpe laudata: *Ravennam paulo post cursu dexteriore subeuntes: quo loci veterem civitatem novumque Portum media via Cæsaris ambigas, utrum connectat an separet. Novus hic Portus Portello nunc vulgo dicitur; ὁ ποταμὸς ἰσικῶς, quod priore illo multo minor. Aquæ ductum Theodorici Regis opus Ravennæ fuisse scribit Cassiodorus in Chronico: Vrbs est Archiepiscopalis. Archiepiscopus, Canonici, Monachi- que sunt ditissimi, totamque ferme ditionem sibi vindicarunt. Illustrarunt ortu suo Ravennam mul- ti cum eruditione, tum aliis virtutibus præstan- tes viri: quorum non pauci Antistites ibi fue- runt, etiam in Divorum numerum relati. *Raven- nates* item fuerunt *Ioannes XVII, P. M. Cassiodo- rus Senator; Faustinus*, Martiali notus; *Aspasius*, temporibus Alexandri Imperatoris Sophista, *Pausania* ac *Hippodromi* discipulus, quem *Sui- das*, adversus *Aristonem* & alios æmulos oratio- nes multas scripsisse perhibet; *Petrus Damia- nus*, Cardinalis, Episcopus Ostiensis; *Gulielmus*, excellens Medicus, scriptis *Pauli Vergerii* lau- datus; *Ioannes Grammaticus*, insignis orator: *De- siderius Spretus*, qui de amplitudine, vastatione & instauratione urbis non indocte scripsit: *Ioannes Petrus Ferretus*, Milensis Antistes; qui multa elu- cubravit, de Institutis Ecclesiasticis nomina- tim, & de eorum honesta disciplina; *Brevia- rium* insuper ab urbe condita ad sua usque tem- pora, tresque Decades Historiarum Ravennati- um. *Ravennatium* frequens in lapidibus mentio. Habuerunt *Ravennam* initio *Thessali*, & evocati ab iis *Umbri Sabinique*. Hos eiecerunt postea *Galli Boji*; *Bojos Romani*, quibus, Imperio stante, constanter adhæsit. *Coloniis* ad censet *Strabo* li- bro V. Duxit eam *Octavianus Augustus*, quum classem eo loci tuendo mari supero collocaret. Occidentis Imperio Sedem, relicta urbe Ro- ma, constituit eam *Honorius*: quod institutum Successores quoque illius custodierunt tam Im- peratores Romani, quam Reges Gothorum. *Gothis* Italia eiectis, hic ab *Narfete Exarchorum Magistratus* est constitutus, Duce *Fl. Longino Pa- tricio*, quem *Iustinus Imperator Narfeti* loco Italia præesse voluit, anno ab Christo nato DCCLXIX. Duravit *Exarchatus* in Italia annos CLXXV, usque ad *Leonem III*, sub quo *Ra- vennam Aistulphus Langbardorum Rex* cœpit: Italia.*

Imperium.

qui à *Pipino* Francorum rege bello victis ur- bem *Romano Pontifici* dedit, una cum *Exarchatu* toto, qui hæc opida locaque continebat, *Cæsa- ream, Ariminum, Cæsena, Forum Livii, Forum Pom- pili, Faventiam, Forum Cornelii, Bononiam, Agrum Mutinensem*, cuius oppidum semirutum jacebat, *Regium Lepidi, Parmam, Placentiam*, aliaque. *Ex- archatu* rursus ab *Langbardis* occupato, postquam *Desiderium* ipsorum Regem superasset *Karolus Magnus*, sub populari aliquamdiu fuit Imperio, quod non ita multo post *Bonomiensibus* cessit; in- de *Venetis*, quibus ad *Ripaltam* cæsis, tandem *Pontifici Romano* cum *Cervia* reddita est *Raven- na*; cuius adhuc ditioni est subjecta. *Rasponorum* & *Lunardorum* factiones *Ravennam* ingenti cala- mitate adfluxerunt, quæ temporibus *Leonis X, P. M. enatæ*, cædibus ac flammis urbem noni semel funestarunt. Pascua ad urbem optima: ex quibus magna lactis, butyri, casei copia. Miram esse *Ravennatis Vitis* naturam scribit *Strabo*; à *Palude* celeriter produci, multumque fructus ferre, sed intra quadriennium aut ad summum quinquennium, perire. *Vinum Raven- nate* vituperat *Martialis* lib. III: *Sit Cisterna mihi, quam Vineæ, malo Ravennæ: Quum possim multo vendere plus aquam.* Commendat contra idem Poëta *Ravennates Asparagos*: *Mollis in aquorea quæ crevit spina Ravenna, Non erit incultis gratior Asparagis.* De *Ranis Ravennatibus* sic canit idem *Martia- lis* lib. III epigr. LI: *Quum comparata ricibus tuis ora Nilivæ habeat Crocodilus angusta Meliusque Ranæ garriant Ravennates, Et Hadriaticus dulcius culex cantet.* Concludam falsis *Sidonii* de ea verbis, quæ extant Epistola 8, lib. I. *Te Ravennæ feliciter ex- sulantem auribus Padano Culice* (Nam *Ravenna* in *Padi* paludibus sub aëre calido sita, culicibus infestatur) *perfosis Municipalium Ranarum loquax turba circumfilit: in qua palude indefuenter rerum om- nium lege perversa Muri cadunt, Aquæ stant; Turres fluunt, Naves sedent; Egri deambulant, Medici jacent; algent Balnea, Domicilia conflagrant, sitiunt Vivi, nat- tant Sepulchra; Vigilant Fures, dormiunt Potestates; fræ- nerantur Clerici, Syri psallunt; Negotiatores militant; Milites negotiantur; student pile Senes, alæ Invenes; armis Eumychi, literis Fœderati. Tu vide qualis sit Civi- tas, ubi tibi Lar familiaris incolitur; quæ facilius Ter- ritorium potuit habere, quam Terram. Videre est ex- tra urbem Ædem rotundam, D. Mariæ Virgi- nis, antiquissimam & pulcherrimam, forma ro- tunda.* Pontem *Ariminensem* transgressis *Viâ* sta- tim occurrit *Æmilia*, in qua mox ad pedem col- lis juxta fluvium *Sapin* urbs *Cæsena* conspicitur. *Cæsena*. *Dictam* sic volunt ab *cadendo*, quod exiguo am- ne *cæsa*; aut quod amnis duobus, *Sapi* & *Ru- bicone*, sit divisa. Hodie civitas est admodum frequens; annis superioribus à *Bernardo Rü- brio*